UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Peregrinvs terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Strictus notus cum Deo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49469

Visual Library

CONSIDERATIO IX.

AMOR DEI,

Strictus notus cum DEO.

IN octavo gradu Sanctus ac divinus Amor *facit ſtringere indiſſolubiliùs*, aſtringit animam Deo nodo, & vinculo indiſſolubili. Iſte gradus eſt perfectior omnibus præcedentibus; quia illi ſunt cum diſtantia Dei, ſed iſte cum unione. *Languens diſtat, quærens diſtat, currens diſtat, & ſic de aliis. Sed qui ſtringit tenet: qui tenet, tangit: qui tangit, non diſtat.* In gradibus præcedentibus *anima amat, & amatur: quærit, & quæritur: vocat, & vocatur.* Sed in iſto gradu *anima rapit, & rapitur: tenet, & tenetur, ſtringit, & ſtringitur: & una uni per amoris copulam ſociatur.* S. Thomas [illegible]citato.

Sed animadvertendum eſt, quod in iſto gradu ſunt aliqui, *ſicut hoſpites tranſitorij: eunt, & redeunt: ſtringunt, & poſtea dimittunt.* Alij verò ſunt, *ut incolæ, & manſionarij: tenent illum, nec dimittunt:* ita fortiter aſtringuntur Deo, ut nulla ex cauſa eum dimittant, ſed dicant cum Apoſtolo; *Quis me ſeparabit à caritate Chriſti?* nulla creatura. *Nullus ſeparat à fonte pollicendo* [illegible]tatem.

Amore, Domine, unione indiſſolubili: ſtringo, teneo, tango; & tenendo fortiter, nunquam dimittam.